34-6-D-93

DILECTUS ALTER

Qui paſcitur inter Lilia

PONTIFEX, ET MARTYR

D. STANISLAUS

SERENISSIMO, POTENTISSIMO, INVICTISSIMO, POLONIARUM REGI

AUGUSTO II.

Magno Duci Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Kyoviæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Livoniæ, Smolenſciæ, Severiæ, Czerniechoviæ &c.

S. R. I. ELECTORI

Et hæreditario Duci SAXONIAE &c.

Belli ac Pacis adoream

CUM VERE

ALLATURUS.

Panegyricè Repræſentatus, & Dicatus

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Per Staniſlaum Geraldum Wyzycki Canonicum Varſavienſem, Romæ in Eccleſia Nationali S. Staniſlai Polonorum, Ann. Dom. MDCCIV. VII. Maji.

ROMÆ, Typis Dominici Antonii Herculis in via Parionis.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

SERENISSIME REX

DOMINE CLEMENTISSIME;

BELLO tonantem, gladiato Stemmate mi
nacem, Sacra Majeſtate AUGUSTUM, prodire
in conſpectum Tuum non auderet exilis,
quia præcox matureſcentis ingenii fætus,
niſi ad eum accedere ſciret, cujus eſt pullulantes de adoleſcentiæ
prætexta in Sagum, vel Togam Poloni ſoli novellas benigno aſ-

ſulgentis Clementiæ influxu maturitati reddere. Dabis veniam auſui meo, quem mihi grata Vultus Tui media in Majeſtate affabilitas inſpiravit; Illa ego audax Clementia ad Tuos venerabundus advolvor pedes, quà Tu ad Sereniſſimum Solii Tui Jubar, & minimos provolare athomos non dedignaris. Ignoſces fructui Ocyus de viridi termite Regiis allabenti manibus, ſuaſum ſibi habebit Clementia Tua, verna ſcilicet Juventute, maturiores nondum poſſe ſpicas evelli; nihil eſt antè ætatem, vel Eſtatem adultum. Solus Solus tantum candor, & fidelis devotio ſpeciali fortunæ potius Virtutis appendice extrà hanc naturæ poſita legem immaturos ſupergreditur annos, & ſicut in tenera ætate adulta viget, ſic in adultà, tenera ſemper conſervabitur. Ad Te Sereniſſime Rex medias per acies bona voluntate clypeatus irrumpo, & liliali Dilecti STANISLAI præmunitus odore, neque ſerpentium agminum virus exhorreo; interim cum ego Marti Tuo lethales de hoſtibus ſeminanti cupreſſus Oratorios porrigo flores, liliatus STANISLAUS pii cultus, & Sacri honoris Maieſtati Tuæ gratus cum verè lauream victricem, & oleam pacis dabit; ſæcula verò cedros, marmora, adamantes, & ſi quid aliud canam ignorat Ætatem, pluſquam trabali Charactere, exarando AUGUSTO Nomini Tuo inſtaurabunt. Leget Orbis Hungarica Arva nunquam interituræ gloriæ Tuæ fluctuare laureis, & rubentem ſanguinea Æclipſi Orientis Lunam cedere in tryumphalem AUGUSTO Victori arcum. Dicet Eccleſia conſumandis uſque in fine ſæculis, vivam illam ſupercreſcentis fidei in vero corde redundare plenitudinem, quà cum pridem vixiſſes juſtus, bona fide ad Regnum proceſſiſti, & in obſequium Tui Intellectus, Animos, & Corda captivaſti Poloniæ. Narrabit ſecunda Cælo Roma, quam attenta ad Juſſa, prona ad reverentiam Aure Boni, & Supremi in terris Paſtoris cognoſcis, & audis vocem. Loquetur ſeroventura Poſteritas, æſtuantem in Regio corde veræ fidei, & Domus Dei Zelum, ad cujus vehementiam flammæ, & ſaxei Saxoniæ Montes, ſicut cera fluxerunt in nova reviviſcentis Orthodoxæ Religionis delubra. Jactabit Polonia ad latè buccinantem AUGUSTI Nominis famam Othomanicas palleſcere lunas, & victos metu ſine cæde Turcas, quamprimum Podoliam, & illud Orbi notum naturæ propugnaculum Camenecum reddere, in cujus cavo aſperæ Rupis antro ad Sceptrum AUGUSTI Secundi, & legiſlatoriam dilectionis virgam, fontem aquæ ſalientis in vitam æternam reſerari, ubi non pridem ab Acreà po-

teſta-

Digitized by Google

teſtate refracta Alcorani ingeminabat echo. Noſcent ſequutura tempora generoſos Latius regnandi ſpiritus, & candidam dominii ſui redintegrandi mentem, cujus finibus, licet nondum in Gothico ſinu terminale fixeris: Non plus ultrà, intentio ſtat bona pro facto. Celebrabit ſuccedanea ætas largam in Virtutis præmia manum, tantoque dignam Rege Clementiam, quâ ut omnibus jura, ſic omnibus profusè impertiris gratias, quotquot enim Eccleſia Præſules, Reſpublica Senatores, Regnum veneratur Proceres, tot Tuæ creatricis manus opera, tot fecundæ clementiæ partus enumerat. Leget Æternitas.

Æterna magnis Carmina carpati
Inſcripta ſaxis; Sauromatum ſalus,
O cura Rex AUGUSTE *Divum*
Lechiacæ Dominator Oræ
- - - - Tu Tuorum
Tu Patriæ Pater, atque Cæſar.

Te fas, piumque, & Juſtitiæ comes
Utcunque clarum latus agis pedem,
Candor coronat; Te fidelis
Propoſiti ſtudioſa virtus.

Noſcere magnus - - - -
Septem quà ſeſe ſideribus pigrum
Evoluit Ævum, protinus ultimis
Afris, coronatiſque ferum
Manibus, Oceanoque rubro.

Delabor ad Regios Pedes, qui ceratis audacis eloquii pennis in plenum gloriæ Tuæ meridiem, & Sacrarum Virtutum nitebar Cælum; jam ut irritatæ quoquo modo modeſtiæ pænam luat audacia, juvet illam floreo demulceri munere, & quo læſa Regis Majeſtas placetur, Regali Genio litetur Rex florum. En Tibi STANISLAUM ſiſto, Civem Regi, Senatorem ſupremo Præſidi, Tutelarem Cultori, Dilectum liliatum, Dilecto laureando, ut ſic alteruter pleno corde in geminos reciproci amoris exuberes modulos: Dilectus meus mihi, & ego illi; non offerentis tenuitatem penſa ſed pretium oblati perpende, & ſtudium effuſi in perpetuam devotionem Cordis non dedignare; impertiet hic

Dilectus Benedictionem annis Coronæ Tuæ, quia Præſul; porriget Juſtitiæ vindicem, hoſtibus fatalem gladium, quia Martyr; afferte cum verè lauream victricem, & Olcam pacis, quia floridus Dilectus.

Et ſic auito pax bona parieti
Suſpendet Enſes, - - - -
Non aut malarum jurgia litium
Emptuſuè Judex, ſed bona veritas
Componet Iras.

Tunc ipſa labens Æthere fauſtitas,
Paſſim per Urbes, nectet, & Oppida
Lætas Napæarum Choreas
Quas niveus pudor, & ſolutis

Per colla paſſim ſimplicitas comis,
Rerumque plenis copia cornibus
Priſcoque gaviſæ ſequentur
Najades, Driadeſque cantu.

Lætabor iſthæc, tunc ego præſcius
Dixiſſe vates, tunc mea Carmina
Diſcenda grandævi parentes
Virginibus, pueriſque dicent.

Ità precatur

SERENISSIMAE MAIESTATI VESTRAE

Humillimus, & Fideliſſimus
Servus, & Subditus.
Stanislaus Wyzycki C. V.

Digitized by Google

170

O R A T I O.

IUCUNDA innubis Cæli gratiâ in hortenſes adoleſcentis Floræ abreptus delicias, virentia voluptatis dum oberro Theatra, ipſas inter formoſi Maii primitias Stanislaum reperio vobis Teſtibus digniſſimi Auditores. Amæna veris temperies, anni illa renaſcentis Juventus, Mundi reviviſcentis anima, vix cæpit teneras frondes vago agitare luſu, vix pullulantibus riſum conceſſit Pratis, vix inquam flores apparuerunt in terra noſtra, & reduces favonii tepido veris anhelitu afflarunt arva, illicò Stanislaus tàm gratis primovernantis Maii allectus illæcebris venit ad fragrantia refloreſcentium Heſperidum vireta, deſcendit in Hortum; ſed curioſa indagandi animum inceſſit præſumptio, quid eſt? quod natus in rigentis Vandali margine Stanislaus, in mollem blandientis Floræ cultorem in delicatum Hortorum degeneravit colonum? Quis tandem inter variata florum caſtra flos tam grato odoris, vel formæ illicio infaſcinavit Stanislaum? Cujus ſpeciei amore captus in hortum cum vere deſcendit? Aperit dilecti ſui ſecretum Cæleſtis Sponſa, arcanum declarat amorem: Dilectus meus deſcendit in hortum, ut paſcatur in hortis, & lilia colligat: Dilectus meus paſcitur inter lilia. Floridus & mihi dicendi panditur campus, cum Flora cærulea manu ſuas per hortos explicat divitias, mollioris ſuadæ derivantur fluenta cum limpido manantes argento fontes, & molles aquarum percuſſiones per invia murmurant teſcua, pulchri Orationi meæ porriguntur colores, cum amænior natura blanda florum confuſione recentes campos interpingit; Stanislaus tamen luci ſui pompam explicans, dum Gemini, æſtatis Nuncii, amica veris ſigna è novo prodiunt Zodiaco linguas infantium in ſui laudem faciet eſſe diſertas me uno non contentus Oratore; magnitudo nominis, & tanta illuſtium factorum majeſtas prurienti linguæ opponit peſſulum, profundo à me geſtit venerari ſilentio. Dilectus Stanislaus floridum eloquentiæ non ambit apparatum, totus floridus eſt, fucatis Oratorum non eget coloribus, candidus, & rubicundus eſt, ceruſſatis Panegyriſtarum blanditiis, & precaria non indiget venuſtate, totus pulcher eſt, procurata à verbis formâ, & inani facundiæ non ornatur calamiſtro, decorus eſt, verbo dicam, Stanislai virtus ad ſcititiam laudationis exoſa pompam mavult ſilentii religione laudari. At dilectæ Sponſæ Cracovienſis Præſul injurioſo ſilentio læduntur virtutes, marceſcit ſine præmio virtus, ſi docto eloquii non coronatur florilegio, luculentus meritorum ſplendor Ecclypſim patitur, niſi ab Oratorio Sole oblivionis umbris enubiletur, rectè factorum Hiſtoria blattis ac tineis rodenda traditur, niſi in publicam exporrigatur lucem, emortua in immemorem tumulum damnatur virtus, ſi vivo præcone caret, ad Occaſum gloria vergit, niſi ad meridianum ſplendorem alta elevetur voce. Quid faciam Auditores? Ubi & ſilere nefas, & loqui ambitio, loquinè honeſtius, an tutiùs ſilere inter incudem, & malleum ambiguus hæreo; verum ſi & loqui vetor, & ſilere prohibeor, præſtat ità loqui ut ſileam, ità ſilere, ut loqui cenſear. Nec exigua certè effulget mihi ſpes, quà & ſilentii crimine eximar, & Orationis culpa vacem. Rupella Cracoviæ per-

 gratus

gratus eſt Dilecti Stanislai hortus, ubi flore campi, & lilio convallium delicatiſſimè paſcitur; quem ille hortū proprio ad fecunditatem ſanguine coloravit; hanc ego rupellam vitæ, & mortis Theatrum dum attonitus, & admiratione defixus intueor, rupeſco, in ſaxum obrigeſcere conor; en me jam rupem aſperam, & confragoſam Præſul Dilecte, è qua gloriæ tuæ, & ſtridentis in necem gladii ità naſcetur echo, ut tacens loqui cenſear, loquens tacere. Et ſanè qui elingue cadaver in magnum veritatis animas Oratorem, fac etiam, ut non mea facundiā, ſed reſonabilis magni Nominis Tui echo, & repercuſſus feralis gladii clangor te Dilectum inter lilia paſcentem digniſſimo Auditori pronunciet, tanto diſtinctius, quanto illum benigniores aures hoc eſt proprium vocis hoſpitium conceſſurum intelligo. Genethliacam Stanislai Næniam, ſive lugubrem Mortis ſpectes ſcænam dilectum qui paſcitur inter lilia non immeritò compellabis. Ephrateam Annam, vel Cæleſtem imitata Sponſam quærit quem diligit Stanislai Mater, veluti terra inanis & vacua, ad eum recurrit qui replevit Orbem Terrarum, & de plenitudine cujus omnes accepiſſe Oraculo Gentium noverat; ſterilis, & arida, ad pluviam voluntariam, ad nubes pluentes juſtum feſtinat; improlis uxor ut Primogenitum ſuum nanciſcatur Stanislaum, ad Primogenitum omnis Creaturæ refugit, ſollicita Mater ut illum, quem Dilectum fore liliorum præſenſerat, inveniat, ad voluptatis hortum digito Paternæ Dexteræ concluſum abit, ad florem vitæ, ad lilium convallium properat. Jam ad omnium retroſæculorum invidiam rogare licebit qualis eſt Dilectus tuus ò feliciſſima Matrum? Qui in ſui productionem medium penè inſumit æuum, de cujus inventione tot annorum laborant decades? Scio ego ampliſſimum hoc terraquei Orbis Theatrum unico verbo, Fiat, conſtitiſſe: Dixit, & facta ſunt. Scio ego luminoſa illa Zodiaci corpora, quæ inexhauſto rotata motu, alterno diei & nocti famulantur Choro, ad ſolum annuentis Dei juſſum prodiiſſe: Verbo Domini Cæli firmati ſunt; ſcio omnigenas materialis creaturæ ſpecies, ſiue quæ remige pennâ librantur in aera, ſive quæ humili reptant inceſſu, ad nutum plaſmantis Dei ex nihilo emerſiſſe: mandavit, & creata ſunt; at hic cujus Genethliacam celebramus memoriam qualis eſt Dilectus, quem vt Phœnicem Orbis in tot annorum luſtra protracta vix parturit Ætas? Qualis inquam Dilectus, in cujus formanda complexione, triginta laſſantur anni? Magna repentè non ſiſtunt, ſumma non fiunt ſubitò; uno non extat anno, omnibus celebrandus Sæculis; plus unum in ſui compagem impendit luſtrum, qui ſpectatori Mundo producitur in Miraculum; non uno ſudat natura momento, quidquid ad commendationem illuſtre, ad laudem magnificum, ad dignitatem efformat ſingulare. Repetite primam generis humani geneſim, ut novam naſcentis Stanislai intelligatis Hiſtoriam, redite ad primordia exorientis Orbis ut in hujus Auguſtæ Sobolis opificio ſingularem operantis naturæ diſcatis rationem. Videtis illic terram Univerſorum Matrem novo exporrectam Soli ſex diebus quieſcere donec manibus Dei verſari in formandum Adam reddatur capax; videte hic Stanislai Matrem ante Solem Juſtitiæ poſitam ſex luſtris ſterileſcere, donec exculto ad candorem ſinu fæcunda in candidum euadat Dilectum. Videtis illic naturam, mortiferam Protoparenti ad inſipida Orbi mala inſtillare famem; videte hic mutata lege teneram ad Innocentiæ lilia Stanislao infundere dilectionem. Videtis illic Protoplaſtam intempeſtiva eſurie, & depravato à ſenſualitate palato depaſci poma; videte hic Stanislaum reformato à natura appetitu paſci inter lilia. Videtis illic

illic ſpiraculum vitæ exanimi inhalari figmento; videte hic ſpiritu virtutis, & dilectionis impleri Stanislaum, ut ſolum liliorum ſpiret amorem. Videtis illic formari hominem, antequam adoleſcens Terra non ſeptennium diſcretionis, ſed ſeptimanam attigiſſet; videte hic non prodire Stanislaum, donec annoſum Matris caput anilis ſterilitas liliata inſperſerit canitie, ut & hinc candidum liliorum ſe probet Dilectum. Procul igitur infeſtans animum ſtupor ſi natura vix non medio Sæculo in tàm nobilem Fætum ingenioſam eviſcerat artem ſingulare inde de candore, & dilectione Stanislai ferte judicium. Venit venit jam annoſæ ſenectutis partus anilis ſterilitatis Soboles, Poloni Orbis gloria, Infulæ Cracovienſis honor Stanislaus; venit liliatus Dilectus, ſed forti, ut mors armatus dilectione publicæ impietati indicere Bellum, ſanctas virtutes in Caſtrorum acies ordinate, rebellanti perfidiæ obtundere cornua, famulam rationi ſubjicere cupiditatem, profanatis malepulſam terris revocare pietatem, impuriſſimam Potentiorum caſtigare licentiam, Regibus dictare Jura, infeſtas veritati oppugnare Regias, in penetralibus Regum collapſam erigere pietatem, inſultantem coercere audaciam, æſtuantis impudicitiæ extinguere faces, in Foris reſtaurare Juſtitiam, Tribunalibus reſtituere æquitatem. Venit inquam Dilectus Stanislaus, & vix ſufficienter in publicam lucem nictantem elevavit oculum, vix illum quadrupedantem in firmas erexit compages inceſſumque formare docuit natura Mater, illicò ſuavitatis odore allectus, immarceſcibilem virtutis intrat hortum, ubi paſcitur inter lilia innocen‹t›i virore ſemper conſpicua, eburneo integritatis candore perpetuo glorioſa; paſcitur Dilectus meus inter innocentiæ lilia, quæ Sol Juſtitiæ benigno fovet influxu, Demonium meridianum nunquam atra noxæ obſcurat umbra, quæ lux Mundi Cæleſti jucunditate conſervat, fatui ignes nunquam fædam inurere maculam, & peccati offuſcare valent fumo; paſcitur inter candida integritatis; & caſtimoniæ lilia, quæ pluuia voluntaria uberrimè inrorat, naufragantis Mundi tempeſtas, nec fluctibus inundat, nec voraci aquarum abſorbet ingluuie; quæ Auſter ille Cæleſtis in Sybilo auræ tenuis adveniens mulcet, malignus Spiritus, nunquam peſtilenti afflat halitu; paſcitur inquam inter puriſſima omnigenæ virtutis lilia, quibus Deus dat incrementum, quæ Cælum colligit eidem Dilecto in Coronam, Eccleſia in depoſitum, Orbis in exemplum, Polonia in honorem. At non novit diù gelida Aquilonis Regio tenera fovere lilia, non potuit longius Septentrionalis algor intrà anguſtias limitum ſtringere Stanislai florilegia; abit jam cujus fortè nivem liliorum tepidiori voluit communicare Mundo rigens Sarmatia nive; expatiatur hinc Dilectus meus in almam liliorum Sedem, Galliam, cujus latè diffuſo odori, & candori unus Poloniæ non ſufficiebat Orbis. Conſtitère terno ſiſtemmate Galliarum lilia, ſeù tres Gratiæ ad gratè recipiendum Dilectum, ſeù ut trino dignum venerentur cultu, ſeù ut per omne trinum perfectam in Stanislao annuant liliorum dilectionem, qui in remotis Europæ finibus linquens Patriam ad Galliæ provolat lilia. Obſtupuere Lutetiæ ubi inter ſui ſtemmatis lilia liliatum integritatis candorem conſpexerint, derivatum à luto nomen propè amiſerunt. Contentam credo ſorte bona Sorbonam, quæ dum eminentem morum candorem attentiùs in Stanislao ſpecularetur, ſeu per repercuſſionem tantę ſerenitatis Eminentiſſimo affulſit titulo. Eminentiſſimam adeòque meritò dicam Sorbonam, cujus literarius Phæbus tam elevatum ſcientiarum ſcandit tropicum, ut ſua benevibrati luminis intenſione Stanislai etiam ad maturitatem proficiant

lilia,

lilia . Jure te Nutricem Scientiarum, Altricem mentium compellabo Sorbona, in quâ ſorbet ad animi nutrimentum, ad liliorum candorem lac rationabile Stanislaus. Literariam tuam arenam non dubito in Terram bonam ad fervorem Stanislai coaluiſſe cum illam in doctas Coronatorum laurus florentiſſimam video, ſed nec in laurus tantum, quam Dilectus liliorum Colonus impenſe colens, & ſuis virtutum decoraverit liliis, & indè honoris ſine macula reportarit lilia. Paſcitur in Auguſto liliatæ Galliæ Athenêo Stanislaus, & ſivè Ariſtotelicum perambulat Laberynthum meliori quam Ariadnę inſiſtens filo lilium inter ſpinas Philoſophicas colligit; ſive Theologica luſtrat Sacraria quot candidiſſimæ veritatis Dogmata tot lilia legit; ſive civilia Digeſta, & Canonicas Decretales evolvit, ſororio quodam vinculo colligatam ſuis liliis laurum jure obtinet. Aſſumite vestrarum cauſarum Oratorem Stanislaum, Juris peritiſſimus eſt Jus facere, quam audire mauult, leges ſervare magis, quam citare didicit, tabularum notas plus factis exequi, quam faſtis mandare ſtudet. Non de trivio Advocatum cenſeatis, qui pro Deo cauſam aget, diſcite quam peritus ſit Juris, qui Deum habebit Principalem cui ut æterna lucra acquireret, totum ſe vendidit, & per omnes Cambii, Promiſſionis, Emphyteuſis nominatos, atque innominatos contractus ſemetipſum Deo tranſcripſit; quia verò & commutationem Juriſconſultorum Pandectæ ſuadent pro liliis immortalis gloriæ adoream pro palmâ Martirii coronam decoris accipiet. Venit tandem ad Judicem ordinarium brevi prò ſecuritate perennis crediti ſanguinem Deo in pignus daturus; imò & vitam deponet in Cælo recepturus cambium. Stetit ad Tribunal ſui Regis floridus veritatis Orator, pro ſuis innocentiæ liliis brevi cauſam acturus. Rediit jam totus candidus Stanislaus, ſed perfecto tuorum liliorum ternioni ò Coronatrix Stanislai Gallia non valedixit, nam ut laurum in capite, ſic tua lilia in corde tenere ſemper aſſervabit; & quia tam delicatè inter tua degebat lilia in arrham gratitudinis habes perſpectum Stanislai candorem quo cultiſſima tua lilia reddas. Redit de opimis liliatæ Galliæ paſcuis ad Patrii fluenta Viſtulæ Stanislaus imò ad fontes aquarum viventium deſiderat ſimilis hinnulo cervorum Dilectus meus, parem morti indutus dilectionem ſub labarum militantis Eccleſiæ nouus adſcribitur Athleta, candidus, & Cæli candidatus, ad Regalis Sacerdotij Majeſtatem electus eſt ex millibus, Sapientię Primum redimitus ſerto Sacerdotali demûm inſignitur corona ut maneat tertia Calo, ungitur Dilectus, quia dilexit Juſtitiam, odit iniquitatem, oleo lætitiæ ad nutriendos ignes triumphales charitatis, quam fidelis ſit Seruus & prudens, qui accepit oleum ſecum, quam bonus ſit odor Chriſti, oleum enim cum odoramentis liliorum compoſitum ſit unguentum, ac Thymiama odoris ſuaviſſimi, quam candidus ſit dilectus, in cujus candida, & illimi cordis tabula primum gratiæ, & virtutum dextera Excleſi inaravit lineamenta, nunc Sacerdotii non oblitterandum inducit caracterem. Vinea facta eſt dilecto meo ſacer nunciat genius; ingreditur Vineam Domini Stanislaus, & ut Vulpecularum, quæ demoliuntur vineas, ſeu è ſpecula invigilet dolis ſacri Oratoris inſcendit Cathedram, ut contra irrumpentes apros qui depaſcuntur vineam fortior vnitis viribus reddatur in Canonicorum aſſumitur Collegium. Ingreditur Vineam Domini Botrus Cypri Dilectus meus, ſcandit Oratorium Suggeſtum lilia loquetur, & velut ingenioſo naturæ inſtinctu de floribus mella depromit induſtrioſa economa Apis, ſic Stanislaus de liliis candidæ veritatis mellitam doctrinæ colliget, & propinabit Ambroſiam

Cano-

Canonicorum intrat Auguſtal, ut Canonicus oculo Canonico dealtiori honoris ſtallo lilia agri quæ nequenent, neque laborant ſagaciùs obſervet. Ingreditur Vineam Domini liliatus Dilectus, & ſi cui animum quærendi curioſa ſubit ambitio quibus illam circumdet ſepibus? In promptu Divinus euvlgat Amor: ſicut aceruus tritici vallatus liliis. Indulge animo quiſquis medullas exedente Mundi inquietaris ſollicitudine, age quiſquis remordente animum torqueris mœrore Stanislaus in Vinea Domini vino mæſta corda lætificat; propinat vinum compunctionis coloris lilii quo omnium ad candorem exalbeſcant conſcientiæ, effundit vinum Charitatis, odorem ſpirans liliorum quo cunctorum attrahat mentes, invitat ad vinum germinans Virgines de Solis caſtimoniæ profluum liliis, potat quemque ad exceſſum de vitæ exceſſibus, inebriat ad deliquium rationis quam vitiorum Domina ſubjugaverat cupido, ad deperditionem ſenſuum, ad incentiva amoris quo ſi langues Stanislaus ſuis fulciet floribus. Jam ſi lubet mecum à vino ad deſtinatam quieti appello horam: videbitis Stanislaum inſomnes ad aras evigilare noctes, pro ſalute omnium Excubias agere ſuæ puritatis lilia diu noctuque cuſtodire credite, vel deciduum rorem Cæli reſpergendis ſuis liliis noctu anhelare cenſeatis. Videbitis provolutum in genua oculos manuſque cum repetitis ſuſpiriis in Cælos efferre, vel amore lilii languentem, vel Mundo morientem exiſtimate. Videbitis nuda decumbentem humo dicite evolaturus in Cælos, debitum Terræ deponit Corpus, vel ſpinas & tribulos de maledicta extirpat terra qui inter ſola lilia deliciari conſuevit. Videbitis jam dieſcente Cælo ad Stellam matutinam ad Auroram ſuorum liliorum amicam properantem ut primos Virgineæ liberalitatis radios in ſuos recipiat flores; credite cum inſurgit Aurora aurea prorſus hora Stanislao illuceſcit, feſtinat ad illud antelucanum Sydus ut caſta vultus majeſtate candorem ſuis inſtillet liliis, ad illam immaculatam luminis puerperam, ut immaculato roris Cæleſtis ſtillicidio ſua proluat lilia ad prodromum illum primo evigilantis Solis riſum ut exſerenata ad gratiam frõte ſuis arrideat liliis. Cecutiat ille effictus à Poeſi oculus qui auroram roſeo cinctam aſpexit crine quando noſtram Solis Juſtitiæ anteambulam liliis Stanislai coronari ſuſpicimus. Videbitis adhuc nullam ſine Auguſti ſacrificij ſtipendio prætermittere diem, tunc vel maximè Dilectum meum lilio paſci intelligatis. Videbitis Auſteris vitæ præſcriptis, & jejuniis in membra ſævire, dum corpus extenuatur ad pallorem, Animam proficere ad candorem cogitate. Videbitis Stanislaum Patrem pauperum, amplum in ægenos elargiri Patrimonium, in proprio Hoſpitio pauperum inſtaurare Hoſpitale, comprobate mecum eleemoſina aquæ collata, extinguit peccatum, reddit in meriti lilia fæcundum, qui palmas extendit ad pauperem lilia carpet. O ſpeculum Sacerdotii Stanislae! qui Sacerdotem in æternum perfectiſſimè repræſentas quem ut lilium Convallium in candore imitatus es. O ardentiſſimæ Charitatis Sol! qui ſola lilia tua temperie foves. O ignea divini zeli Columna! nulla in tuis liliis invenietur macula, quæ tali examinas igne. O caſtimoniæ Virginalis Imago! quam virtus Altiſſimi conformem imagini Filii ſui adumbravit. O æſtuantis impudicitiæ hoſtis qui contra Cyprios ignes nive liliorum excandeſcis. O Archetypus humanæ perfectionis: ſine ceruſsâ, ſine umbrâ ſolo candore delineatus. O Stanislae! Sed quem virum nomino undè in ſingula momenta ſingulare factum emergit, ſingulare verò factum exaggeratiſſimæ panegyris argumentum, cujus explicandis geſtis laboret Æ ternitas, cujus enarrandis

dis miraculis deficiunt Oratores. Effloruere tandem in fructus infulati honoris Dilecti Stanislai lilia, & quæ hucuſque niveo renidebant candore jam propè Cæleſtem induunt colorem, qui paſcitur inter lilia, meretur violas, carpet violas qui lilia fovet, quaſi naturalis ſympathia alterutram, ità amico junxit fœdere, ut has non colligit, qui illa non coluit. Effectus jam Sponſus qui hucuſque fuerat Dilectus, & quia ſemper candidus niſi Columbina ſimplicitate, & candore præſtantem ſibi fœderat Sponſam: amica mea Columba mea. Portaverat ſi meminiſtis ſuprà naufragi Orbis Abyſſum ramum olivæ auſpicatæ pacis argumentum, exploratrix Noemi Columba, Stanislai Sponſa, cui blandus Amor ſuaviſſimum modulatur Epithalamion: Una eſt Columba mea, per obvios rebellantis hujus pelagi anfractus lilia intacti honoris portat: Fuerit demum ex fæcundo ad fabulas Poetarum ingenio Commentum Minervam Argonavis Architectam cum primum per nunquam domitos inſanientis Oceani furores inambularet candidiſſima liliorum folia dextrâ prætuliſſe Stanislaus funeſtiſſimis jactatum procellis exuperans Mundi æquor, & ſuæ virtutis lilia, & ſicut lilium inter ſpinas amicam ſuam geſtat. Dicatur à quodam luna Cælorum fortuna continua rotata viciſſitudine, pulchra ut luna Cracoviæ Eccleſia non habet quem formidet Caſum, vel Occaſum innixa ſuper Dilectum ſuum Stanislaum. Pulchra, & decora, quia candido, & florido aſſociata Vito licet hucuſque conqueſta fuerit: Nigra ſum, Dilecti ſui nobilitata candore fatetur, ſed formoſa. Occupaverat tunc Regni Poloniæ ſolium, indignus quem portaret ſolum Boleslaus Audax, vel ſolo nomine horrendus, vel ſolo vocabulo ferus, vel ſola compellatione atrox; Boleslaus Audax! verè Audax dum & mihi Stanislai elugubranti Hiſtoriam ultrò ſe in omne nefas eraſa fronte obtrudit, dicenti mihi de lugubri Mortis Stanislai ſcenâ primus vt ſceleris Auctor cæco ſe ingerit auſu. Audax ſed virtutis hoſtis, Cælo rebellis, rationis adverſatius, pietatis expugnator, legum, & Juſtitiæ everſor; Audax, ſed ſcelerum Aggreſſor, Veneris Miles, proſtitutæ Cohortis Dux, luparum defenſor, voluptatis ſatelles. Liberæ vocis calculo ad Regni delatus Gubernacula, paulò deindè omnem deſpotico nequitiæ jugo oppreſſit pietatem, Electorali ſuffragante voto evectus ad Tronum, omnem calcavit virtutem, de Regiæ Dignitatis culmine lapſu graviore in flagitiorum corruit Abyſſum, Sereniſſima fulget Majeſtate, ſed virtus obſtante vitiorum umbra Ecclypſim patitur, verticem premit Diadema, ſed de fronte jam pudor omnis expreſſus, legum Dictatricem complexus virgam, Juſtitiam & omnia Æquitatis jura ad ultimas Garamantidis damnavit plagas. Pretioſis reſplenduit gemmis tot atris in omnem ignominiam proſcribendus lapillis. O coronatum ſcelus! ſub purpura Regni pudor, ſub paludamento probrum, ſub auro truncus, & voluptatis idolum, execrati amoris mancipium, impudentis Deæ perpetuus cliens, infamis cupidinis præda, devota ſtygis victima, inverecundus honeſtatis propola, crudelis mentium procuſtes. Stertit abortivas inter delicias ignauus Sardanapalus, oſcitat inter blandientis otii lenocinia delicatus Heliogabalus, ſepelitur laſcivias inter roſas effæminatus Sybarita, indormit ſomno, vinoque ſepultus olorinæ Smyndiridis plumæ, excors Audax, jam fortunæ objectu, divitiarum illicio, favorum larva, gratiarum mendacio, voluptatis irritamento integerrima ſubvertit corda, fideles adulterat Thoros, Sacramento juratam confundit fidem, illæcebris immergit animum, Deo debitæ obedientiæ excutit jugum, vivit ad projectæ voluptatis genium, dividit cum

Digitized by Google

ludis noctes, cum jocis dies, cum deliciis annos. Videre erat compoſito ad Regis exemplum Orbe, in adoleſcentibus annis adulta vitia, in ſeneſcente vita vegeta, & florens audacia, in omni ætate annoſum ſcelus, in omni ſexu indiſtincta iniquitas, in omni ordine, & conditione inordinatus animorum tumultus imperabat rationi, nulla Divinarum legum reverentia, nullus ordo juris, nulla Sacrorum Æſtimatio, nullus Juſtitiæ metus, proſtitutiones integritatis, pudicitiæ violentias, coniugalis Thori violationes impediebat. Ingemuit ad tantæ tempeſtatis furores Stanislaus, ſenſit non ſine vivo cordis dolore, tam rigidum Sarmatici Boreæ undiquaque graſſari gelu, vidit non ſine pupillæ offenſione benecultos maturæ virtutis emarceſcere Hortos, modeſto rubentes purpuriſſo verecundiæ expalleſcere roſas, candida innocentiæ exareſcere lilia; ſed ſpe redituri veris lenit mærorem. Interim à naturarum Inveſtigatoribus Phyſicis edoctus lilia mederi morbis, omnem verborum ſuavitatem, & amantis animi candorem adhibet, præponit Regi integræ vitæ ſceleriſque pura lilia, applicat gravem, & jucundam conſilii maturitatem, lilio ſecum paſci ordinat, in colendis caſtitatis liliis ſudare præſcribit, at ſerò medicina paratur, cū mala per longas inualuere moras; ut natura mirā ſemper gravidi ſinus fæcunditate de ſilice lilia educere nequit, ſic ars toto ingenii conceptu ingraveſcentia lethalis mali ſymptomata nec liliis curare valet. Magis in deſperato Rege poſt ſaluberrimos ſacratioris Galeni aphoriſmos ad malignitatem invaleſcit inſanies, intumeſcit animus, inflatur Cor, expalleſcit rabie vultus, incaleſcit maligna iracundiæ febre pectus, agitatur cruda furorum eructatione ſtomachus, totum corpus inquieta fluctuatione concutitur: curando fieri majora videmus vulnera. Quid tandem Stanislaus? Lilia ejus diſtillarunt Myrrham primam, qui amore non potuit amarore conatur, qui verborum candore non profuit igne zeli, & ſanctæ indignationis excandeſcit, qui attemperata ad omnem lenitatem præſcriptione curare non valuit, acutiori percutit ſtylo: non licet tibi Rex privata Coniugii violare jura, nefas legitimos adulterare Thalamos. Erigit in minas ſupercilium, contrahit in frontem nubila, accendit in oculis fulgura, impellit in vocem tonitrua furens Tyrannus, jactat manus, citat greſſum, minatur voce, ſybilat lingua, exhalat venena ore, ardet vultu, flammat oculis, ſed jactet, quantum vult, manus Stanislai non abripiet lilia, citet greſſum, pedibus illa non proteret, minetur voce, ſurda ad minas, violentiſſimè ſibillet lingua, nullo ventorum impetu Stanislai franguntur lilia, ardeat vultu maculas inurere liliis non ſufficiet, flammet oculis non nocebit candori, exhalet peſtilenti ore venena, anguibus fatalia lilia invenenari nequeunt, ut cum Platone loquar lilia multis modis, florem ſuum nobilitavere contra ſerpentum ictus. Citatur tamen ad poteſtatem tenebrarum candidus Dilectus, ſiſtitur ad Tribunal iniquitatis liliata integritas, trahitur ad implicatiſſimum erroribus labyrinthum, Dilectus qui paſcitur inter lilia, ducitur ad tetrum tenebrionem candor, accuſatur ſceleris liliata Innocentia, obruitur mendaciis candida veritas, erumpit calumnia, furit livor, inſufflat mendacium, tonat ira, inimicus eſt Judex, & cæſor deciſor. Quid ages ſine favore bona cauſa, ſine advocato Innocentia, ſine Patrono veritas. Implacabilis rigor pridem ad mortem damnavit veritatem tuam, mendaces filii hominum veritati tuæ lapide oppilarunt os, fabuloſæ antiquitatis Aſſeclæ intrà profundas hiantis putei tene bras lucem veritatis abdiderunt. Sed video (an me vana ludit Imago) recludi tumulum, moveri cineres, ſpiſſari buſtum, coire oſſa, coincidere

mebra,

Digitized by Google

membra, obtendi carnem, conſui pellem, animari morticinium. Novum; ni fallor, in ſtuporem Orbis lilium de terra educit liliatus Stanislaus, candidum eſt, quia candida veritate inſtructum, odoriferum eſt, ſubolet enim omnibus innocentia Stanislai, è Terra eſt, quæ aperto ſinu mirandum ſupra naturæ opem enititur fætum, ex horto eſt, à triennio enim in illum novi Orbis tranſplantatum fuerat hortum, ubi uniuſcujuſque fructus qualis eſt ignis probat, de Solis influxu eſt, ille enim expers Occaſus Sol mortuales diſcutiens umbras veritatem, ſeu lilium facit de Terra oriri. Stringe ſtringe feralem acinacem excors Lanio, obtundet veritas de ſepulchrali marmore enata, minare mortem, veritas poſt funera vivens Libitinæ infringet jura, intorque palliata mendaci colore argumenta, nuda veritas de feretro erigitur. O ſtupendum ſtupido quoque Regi miraculum! O jucundum Stanislao ſpectaculum! Lilium pro liliis loquitur, mutum perorat, elingue patrocinatur. At ò durum lictoris ingenium! Non movetur; O ſilex! Non frangitur, O marmor! non rumpitur, O rupes! non diſſilit, ò tygris! non miteſcit, ò monſtrum! nullam manſueſcit ad humanitatem. Fremit uſque, & uſque veſana rabies, conficit ſe inteſtino vulnere livor, ſed quæ tandem in fulmina crudelitatis illa nubes exolvetur advertite. Stanislaus, quem merita ſupra communem mortalium erexere ſortem, quem virtus Cælo propriorem reddidit, Rupellam Cracoviæ aſcendit, fortè linquit Terram, elevatiorem loci quærit poſitionem, ne Symbola virtutum lilia maleſanos exhalantis Terræ imbibant humores, mutat locum, in liberum ſe confert aerem, ne ſquallido vaporum terreſtrium obfuſcata acore elangueſcant, in temperationem aeris exit Regionem, ne humi nimio incaleſcens Sol ardore, niveo officiat candori, eminentiorem ſcandit collem, ut quo vicinior Cęlo, eò benigniorem ſyderum influxum uberiorem gratiarum imbrem in ſua recipiat lilia. Sit de nundinis Poetarum ſpectabile Monſtrum efficaci vocis illecebra incantatos aliquando lapides in Urbis formam coiviſſe, commenti extinguit memoriam Stanislaus, cujus odore pietatis ebria flore virtutum infaſciata Rupella in Paradiſum voluptatis coaleſcit, in excultiſſimum componitur hortum, ubi ille lilio Convallium delicatiſſime ſatiatur, illam perpetui veris ſedulò contemplatur jucunditatem, inter Cæleſtes mente ſpatiatur delicias immarceſcibilis gloriæ intuetur aureolas. Scandit Rupellam, melius dicam muros inſcendit, mænia aſſilit, expugnaturus Cælum, quod jam vim patitur; aſcendit Rupellam, ut lapidi aſſueſcat mox donandus corona de lapide pretioſo; aſcendit Rupem, ut ſi fortè inhumana Regis rabies omnes exerat vires in petroſa cadentes retundantur, vel potius vt lapidem in cotem præbeat ad exacuendum in propriam cervicem gladium. Aſcendit feralem clivum, mortis Theatrum, gloriæ verò ſuæ Capitolium Stanislaus, Dilectus meus qui hucuſque inter lilia paſcebatur, in meliorem nunquam interituræ voluptatis perrecturus hortum Rupellam tranſit, ut mel de petra pro Viatico ſumat; ſcandit, iterum dicam, Rupellam, ſed potiùs vadit ad Montem Myrrhæ, & ad Collem Thuris Dilectus meus, ubi amaræ mortis poculo uſque ad fluxum ſanguinis ad effuſionem animæ inebriabitur, ad montem Myrrhæ, cujus amaritudo mordebit viſcera, corrugabit ad dolores Frontem, exprimet Poloniæ lacrymas, & ad Collem Thuris, in quo ſuavia Deo adolet Thymiamata brevi ſe in Sacrificium veſpertinum oblaturus. Siſtitur adeoque ad aram amicus veritatis ad aras Stanislaus, ſiſtitur ad Altare candidiſſima omnis perfectionis Imago, accedit liliatus Dilectus ad lilium Convallium, ut jàm potiatur amato, cui forti vt mors

ad-

Digitized by Google

adhæſit dilectione, dilexit ad mortem. Venit heù animus meminiſſe horret, venit illa de numero dierum nigro protrudenda calculo dies qua cruentum in proprio ſanguine celebrabit Sacrificium, vitæ prius, quam miſſæ daturus finem; faciet introitum, ſed de vita ad mortem, de morte ad illum hortum, ubi fructus pacatiſſimus redditur Juſtitiæ, fructus lucis eſt in omni bonitate; prò offertorio ſuum Caput ſanguineo porriget Lictori, ad elevationem veniet excelſam nimis, quia de terra in Cælos elevandus, apprehendit jam manibus quod ſemper complexus eſt corde delicium ſuum nominis liliati teſſeram, lilium Convallium, ac in illo inſtanti proh dolor! à Rege lapideſcunt in ore verba, gladio perimitur; fecit itaque ablutionem in proprio ſanguine, & quantas paſſus in Miſſa diſtractiones, de Templo in Campum evolat, & ſacrilega manu centena partitus inſruſta hinc inde diſtrahitur. Heu Carnifex non Rex, apparitor non Imperator, Bellua non homo; O infelix Methamorphoſis! homo cum in honore eſſet non intellexit, & deperditâ illa ſpecioſiſſimi Numinis ſimilitudine, comparatus eſt jumentis. Hæc eſt infelix illa ſociorum Ulyſſis in feras methamorphoſis, hæc eſt Pythagorica metempſicoſis, ſeu humanarum animarum in Beſtias, ferasque tranſmigratio, qua Rex exutus hominem in rabidum leonem turpiſſimè degeneravit. Perrumpe tractus impenetrabiles ignaua Tellus, deſuper arduæ volvente ſaxorũ ruina, expiretauras, occidatoccidat funeſtus, execrabilis, efferus Sector, Cælumq; diro liberet halitu fatale monſtrum, diſſidentum ludibrium furiarum, & Orci. Non erubeſce, licet Stanislai ſuffuſa ſanguine Poloniæ Aquila, vere candidaquia in candidiſſimum fœcunda Filiorum Dilectum, nec time tam atro Martis incæſtari fumo, ut te candidus Dilectus ad Sceptrum Auguſti Secundi priſtino non reſtituat candori. Non erubeſce Polonia quam Stanislaus ſuo liliorum candore glorioſam reddidit, imò age Auguſta Heroum Cæleſtium Parens, Orthodoxæ fidei nutrix, Chriſtianitatis Antemurale Polonia, agnoſce quam impensè Dilectus tuus Stanislaus coluerit lilia, quorum cultura ſanguineum illi expreſſit ſudorem, lege in hoc ſanguine ſuorum virtutum lineamenta, meritorum, & Sanctitatis rubricas, gloriæ verò tuæ caracteres, & ſicut Hyeroſolima Stephano, Roma Laurentio, ſic tu tuo gaude Polonia Stanislao. Tu verò Sanctiſſime Patrone, Præſes, Tutelaris, Indiges, & liliate Dilecte Stanislae, qui ad lilia naſceris, & cum verè ad lilia venis, affer tecum Ramum Olivæ, votis omnibus optatæ pacis ſymbolum cruoris innatanti diluuio Chriſtiano Orbi, cum placida Veris appares ſerenitate de ſerenitatem pacis, & tempera fulminantis Gradini æſtus. Quia verò novo Thaumaturgi Eliæ ſpiritu mortuis das vitam, inſuffla ſuper interfectos illos, quos Martius Poloniæ nuper tumulavit Campus, reviviſcant, ſtentq; ſuper pedes ſuos, Exercitus grandis Auguſto Regi Poloniarum auguſto, habes lilia, da & laureas in triumphale coronamentum Regi noſtro, tenes lilium Convallium, detine ergo juſtiſſima ſævientem indignatione Deum, præfers candorem, inſere illum pectoribus, ut voce concordi, ſenſu unanimi, voluntate ſincera albo in pacem ſubſcribant calculo, ſpiras odorem, trahe nos poſt te, curremus in odorem, ut bonus odor Chriſti ſimus. Dixi.

Digitized by Google

Digitized by Google